



*De gente*  
**SAXONICA.**

CAPVT I.

*Historia gentis.*

§. I.

**S**AXONVM, vetustissimae gentis, *adpellatio altero demum post nat. Christum seculo* audita fuit. *Cimbri- cae* chersoneso vicinas regiones, hodie ab *Holsatis* habitatas, eos tum incoluisse, res manifesta est. Hinc ipsam *Saxonici* nominis rationem non aliunde, quam a *fessibus* populi, den *Sassen*, vel *Satten*, aut *Satsen* deriuandam esse, coniectari licet. Vtinam vero acquiescerent tandem in hoc *ortu* scriptores. Magis enim antiquae populorum natales, quam a vetustis scriptoribus traditas accepimus, vano recentiorum auctorum studio aut *fabulis* inuoluuntur, aut *tricis* implicantur, non sine grauissima temporis ac veritatis iactura, maximoque impedimento, quod plures deinde a notitia rerum in *historia utilium* auocare ac deterrere solet.

Ptolemaeus *Geographus* cc. an. 130. principio Saxones memorauit: (a) sed in *historia Romana* iidem ab anno demum 250. Eutropio, Orofio, Isidoro, Marcellino, Zosimo, Diacono aliisque describuntur. *Causae diu neglecti nominis*: 1) rariora cum *Graecis* aut *Romanis* commercia; 2) ignorantia antiquorum *Geographorum*, quibus satis fuerat, regiones vniuersim describere: sigillatim 3) incuria eorundem, qua, populis in confinio tantum nominatis, ad interiores

(a) l. 2. c. 11. Ipse vero *Ptolemaeus*, *Aegyptius* natione, claruit sub *Antonino Pio*, vt *Suidas* auctor est.